

cundus ad Sacramenta conficienda, & aliis ministranda. Habet tamen aliquid de potentia passiva respectu gratiæ Sacramentalis, & auxiliorum peculiarium.

75. Inq. 3. An caracter sit ex natura sua indelebile? R. affirmative; quia est potentia spiritualis, quæ ideo contrarium non habet sicut gratia, quæ utpote habitus per suum contrarium, nempe peccatum, destruitur. Unde permanet caracter in altera etiam vita, in Beatis ad gloriam, in reprobis ad ignominiam. Qua ratione si baptizatus resurgeret, non esset iterum baptizandus, nec Sacerdos ordinandus. Ita D. Th. ubi sup. a. 5. ad 3.

76. Inq. 4. An characteres Baptismi, Confirmationis, & Ordinis differant realiter, & essentialiter? R. affirm. : quia ordinantur ad munia formaliter diversa; potentia autem distinguuntur realiter, ac essentialiter, juxta munia, sive objecta formaliter diversa. Idem est de characteribus ordinum propter eandem rationem; omnes enim habent sua peculiarium ministeria; ad quæ per se primo diriguntur, & distinguuntur eodem modo, ac ipsi ordines.

77. Objic. 1. Diversa signa nequeunt esse in eadem parte corporis: erg. nec diversi characteres in eadem parte animæ. 2. Si quilibet ordo habet distinctum characterem, ac diversa munia, recipiens per saltum Sacerdotium, non posset exercere

munia ordinis inferioris, quod non est verum. 3. Quia unum tantum est Sacramentum Ordinis; erg. unus solus debet esse Ordinis caracter.

78. R. ad 1. neg. conseq. quia licet in eadem parte corporis nequeant dari diversa signa, seu figuræ; tamen in eadem parte animæ possunt optime esse diversæ potestates spirituales, sicut in eodem intellectu adsunt scientiæ speciem diversæ. Ad 2. quod Sacerdotio per saltum initiatus, valet exercere munia ordinis inferioris, non ex officio peculiari, sed quia ordo inferior virtualiter eminenter continetur in superiori, sicut sensus in intellectu, & Ducatus in Regno. Unde in primitiva Ecclesia suscipientes solum Præbyteratum, omnia ordinum munera exercebant. Verum, sicut Rex, esto possit idem, quod Dux, Prætor; aut Miles, convenienter assignat ista officia, & eorum peculiarium signa; ita in præsentia materia. Ad 3. dicimus, quod, sicut omnes ordines sunt unum Sacramentum unitate habitudinis unius ad alium, & omnium ad unum, eodem modo omnes characteres, esto distinguuntur, sicut ipsi Ordines, constituunt, & complent unum tantum characterem Sacerdotalem. Unde caracter non intenditur ad modum habitus, quia non habitus, sed potentia est, & reductur ad secundam speciem qualitatis, ut docet D. Th. 3. p. 2. q. 63. a. 2.

TRACTATUS VIGESIMUS TERTIUS

DE SACRAMENTIS IN PARTICULARI.

Habita notitia de Sacramentis in genere, ad agendum singillatim de ipsis progredimur. Cum autem ceterorum janua, & fundamentum sit Baptismus, de hoc prius, quam de aliis sermonem instituiamus.

CAPUT UNICUM.

De Baptismo.

PUNCTUM I.

De nomine, natura & divisione Baptismi.

1. Inq. 1. Quod nomen sit; & quid sit

gnificet Baptismus? R. Baptismus est nomen græcum significans idem, quod latine ablutio, seu immersio in aquam. Unde quia olim per immersionem fieri solebat hoc Sacramentum, in representationem Sepulturæ Christi, appellatur Baptismus. Dicitur etiam regeneratio, lavacrum, illuminatio, indumentum, sepultura, donum, gratia, custodia, sigillum, sacramentum fidei, principium, ac janua omnium Sacramentorum.

2. Inq. 2. Quotplex sit Baptismus? R. est triplex, nempe fluminis, flaminis, & sanguinis: solum Baptismus fluminis est

Sa-

Sacramentum. Baptismus flaminis, & sanguinis, licet sacramenta non sint; habent tamen nomen Baptismi, quia suppleant ejus vices, quando Baptismus fluminis nequit suscipi: Quando autem suscipi valet, est necessarius necessitate medi in re, ita ut sine illo nemo salvari possit, ut patet ex illo Joan. 2. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire Regnum Dei, & ex Trident. sess. 7. can. 5.*

3. Inq. 3. Quid sit Sacramentum Baptismi? R. Habet duas definitiones, aliam methaphysicam, aliam physicam. Methaphysica est: *Sacramentum novæ legis institutum a Christo Domino causativum gratiæ regeneratiæ.* Per hanc ultimam particulam differt Baptismus a ceteris Sacramentis, cum quibus convenit per reliquas anteriores: omnia enim instituta sunt a Christo Domino ad causandam gratiam; unumquodque autem cum suo modo peculiari. Differt etiam Baptismus a reliquis Sacramentis in eo, quod est primæ tabulæ, quia dat esse genitum in ordine supernaturali: reliqua vero sunt secundæ tabulæ, quia vel reparant genitum lapsum, ut Pœnitentia, vel illum confortant, nutriunt, & augent, ut confirmatio, Eucharistia, & cetera. Definitio physica Baptismi est: *Ablutio exterior corporis facta sub præscripta verborum forma.* Baptismus fluminis est: *Actus contritionis, vel caritatis cum voto explicito, aut implicito, recipiendi Baptismus fluminis.* Baptismus Sanguinis est: *Martyrium in odium fidei datum, & pro fide susceptum.* Martyrium autem est: *Mors, aut vulnus letale, susceptum pro fide, vel defensione alterius virtutis.*

4. Baptismus flaminis ita appellatur, quia fit peculiari impulsu Spiritus Sancti, qui flamen dicitur. Solum convenit adultis, quia consistit in actu contritionis, vel caritatis, qui a solis adultis elici valet. Baptismus Sanguinis, sicut & fluminis convenit tam adultis, quam parvulis: isti enim in odium fidei occisi, non solum gratiam, sed & martyrii palmam consequuntur, esto usu rationis careant, ut de Innocentibus ab Herode occisis propter Christum docet D. Th. 2. 2. q. 124. a. 1. ad 1.

5. Inq. 4. Quando debeat parvulis ministrari? R. ad 1. quod Baptismus ante Pas-

Tom. II.

ministrari Baptismus? R. ministrari eis debet, quam primum moraliter possit; tum quia infantibus nulla alia via comparandæ salutis adest, tum quia innumeris periculis in illa ætate adeo tenera sunt expositi. Unde dilatio ultra octavum diem gravis culpa, juxta probabiliorem sententiam, reputatur. Adulti etiam sub eadem culpa debent baptizari intra tempus ab Ecclesia præscriptum. Igitur, post quadraginta dierum instructionem, private baptizandi sunt, servatis solemnitatibus ad vigiliis duplicis Paschatis, vel alterius diei designati. *Vid. Synod. Diæces. lib. 12. cap. 6. n. 7.*

6. Inq. 5. Quando fuerit institutum Sacramentum Baptismi, & quando obligare cæperit? R. Institutum fuit quando Christus in Jordane a Joanne fuit baptizatus. Tunc enim suo contactu sanctificavit aquas, eisque tribuit virtutem homines regenerandi, ut dicit D. Th. 3. p. q. 62. a. 2. Verum obligare non capit lex suscipiendi Baptismus, nisi post Pentecostem, & promulgationem sufficientem Evangelii. Apostoli autem, qui ante passionem fuerunt Sacerdotio initiati, & sumperunt Eucharistiam, prius necessario debuerunt baptizari, cum sine Baptismo cætera Sacramenta nequeant recipi. Unde quidam asserunt Christum Dominum suis manibus Beatissimam Virginem ante Apostolos baptizasse: Deinde Petrum, hunc filios Zæbedei, istos subinde reliquos Apostolos, Apostolos denique alios discipulos. Quod pie credendum est, quoniam de gestis, de quibus aliud non constat, illud, quod pietati magis congruit, est tenendum. Quid autem pietati magis consonum, quam Christum suam Sanctissimam, ac dilectissimam Matrem prius omnibus baptizasse? Deinde Petrum, hunc vero alios, qui aliis idem beneficium præstarent, & sic inceperit pussillum Ecclesiæ gregem?

7. Objic. 1. Baptismus habet efficaciam a Passione Christi; erg. ante eam, neque illam habuit, nec fuit institutus. 2. forma Baptismi instituta fuit post Passionem, Matth. ult. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* erg. etiam Baptismus. 3. Beatissima Virgo non habuit peccatum originale, nec actuale: erg. nec recepit Baptismus.

8. R. ad 1. quod Baptismus ante Pas-

C

sio-

sionem habuit efficaciam a Passione jam inchoata, esto post illam habeat majorem virtutem a Passione jam consumata: quo pacto etiam explicatur, quod Sacramenta fluxerunt a latere Christi, aperto in Cruce; hoc est consumative, & complete, sive a Passione consumata in Cruce, tanquam a causa efficiente. Ad 2. dicitur quod Matth. ult. non fuit forma Baptismi instituta, sed iterata, & clarius exposita. Ad 3. quod Beatissima Virgo suscepit Baptismum, non pro culpa repellenda, sed pro gratia augenda, & ut se aptam redderet, ad alia quedam Sacramenta, & potissimum ad Sacrosanctam Eucharistiam recipiendam.

9. Inq. 6. In quo differat Baptismus Joannis a Baptismo Christi? R. differat tanquam figura a veritate; Baptismus enim Joannis erat figura, & velut preparatio Baptismi Christi. Nec fuit verum Sacramentum, licet lato modo sic dici valeat. Triplex igitur præcipua distinctio adest inter utrumque Baptismum. Prima ex parte Auctoris. Secunda ex parte Sacramenti. Tertia ex parte virtutis; quia Baptismus Joannis non conferebat gratiam ex opere operato, sicut Baptismus Christi. Unde baptizatis illo Baptismo non remittebantur peccata, ut inquit D. Thom. 3. p. q. 68. a. 6.

PUNCTUM II.

De materia Baptismi.

10. Inq. 1. Quænam sit materia Baptismi? R. Duplicem habet materiam: nempe remotam, & proximam. Materia remota Baptismi est omnis, & sola aqua naturalis. Unde aqua maris, fluminum, lacuum, puteorum, fontium, seu pluvie: nec non aqua resoluta ex nive, gelu, sale, grandine, glacie, & rore, sive frigida, sive calida; dulcis, vel amara, aut aliquid immutata, dummodo naturam aquæ naturalis retineat, est materia valida. E contra non sunt valida materia nix, grando, gelu, glacies, sal, nisi resolvantur; nec aqua ardens, nec rosacea, aliive liquores, expressi e succis arborum, florum, aut herbarum; nec quæ distillant ex vitibus, aut alia arbore, quia ille humor succus est, non aqua. Pariter omnis liquor ab

aqua specie distinctus, licet aquæ similis in colore, ut vinum album, lac, saliva, sudor, lacrymæ, urina, cervisia, & similia, invalida materia Baptismi est, ut communiter docent Theologi contra Lutherum, putantem validam materiam Baptismi omnem liquorem, in quo balneum fieri possit. Ejus tamen errorem prescripsit Trid. Sess. 7. Can. 3. de Bapt.

11. Materia licita est aqua consecrata, seu benedicta, quæ semper adhibenda est extra casum necessitatis. Materia dubia est illa, de qua dubitatur, an sit aqua naturalis, ut aqua alio liquore permixta, seu cum herbis, aut carne decocta, quando fuerit multum inspissata, aut livivium, quod, licet sit materia probabilis, non tamen omnino certa. Idem est de guttis aquæ ex tegumento ollæ collectis, esto enim probabilis sint materia valida, non tamen omnino certa. Igitur materia dubia solum adhiberi debet in defectu materiæ certæ, & in casu necessitatis, proferendo Baptismi formam sub conditione. Aqua, quæ ex latere Christi proslivuit, potuit esse materia Baptismi, quia vera aqua fuit, ut ait D. Thom. 3. p. q. 66. art. 4. ad 3.

12. Inq. 2. Quæ sit materia proxima Baptismi? R. est ablutio. Hæc autem fieri valet tripliciter: nimirum per immersionem, per infusionem, & per aspersionem. Non requiritur triplex hæc ablutio; sive enim uno, aut alio modo ablutio fiat, validus est Baptismus. Unaquæque Ecclesia tamen servare debet ritum proprium. Nec requiritur triplex immersio, nam licet præcis sæculis adhiberetur, ad testandum Trinitatis mysterium; sæculo tamen sexto Episcopi Hispani induxerunt ritum unice immersionis, Gregorio Magno illum approbante. Postea propter commodum Ministrorum, ipsorumque baptizandorum loco immersionis adhibita fuit ablutio per infusionem, seu aspersionem. Igitur quælibet ex his abluionibus sufficit ad valorem Baptismi. Illa autem quantitas aquæ requiritur, ut verificetur, quod persona est abluta, quia verificari debet forma: *Ego te baptizo, sive abluo*. Unde solum in defectu abundantioris aquæ potest cum una; aut duplici gutta adhiberi forma sub conditione.

13. Inq. 3. Quæ pars corporis debeat ablu

ablui, ut Baptismus sit validus? R. Caput est abluendum, tum quia adest Ecclesiæ præceptum: tum quia est corporis principale membrum, in quo omnes sensus fundantur, & emineuter continentur. Non supra vestes, sed corpori nudò adhibenda est ablutio. Adulti autem minime sunt nudandi, sed abluere debent in capite nudo. Si autem pes, manus, digiti, & potiori ratione solum capilli abluantur, vel solum supra vestes ob aliquam necessitatem quis aspergatur, sub conditione iterandus est Baptismus: imò licet ablutio fiat in pectore, aut humeris, idem faciendum censemus ex D. Th. 3. p. q. 68. art. 11. ad 4.

14. Inq. 4. An infans intra claustrum maternum possit aliquando baptizari? Si caput egrediatur, est illico baptizandus, quando urget periculum mortis, nec postquam perfecte egressus est infans, potest rebaptizari; quia ut diximus, caput est principale membrum. Si autem manum, aut pedem emittat, etiam in illa parte baptizandus est, sed transacto periculo debet sub conditione rebaptizari. Idemque omnino tenendum, quando, ob urgentem necessitatem, in secundinis obvolutus baptizatur: nam juxta probabiliorum Soti sententiam, invalidus est Baptismus supra secundinam collatus. Sed in casu tantæ necessitatis omni via possibili subveniendum est proximo. Ob eandem igitur rationem, esto nulla pars infantis appareat, tamen si aliquo modo introduci in uterum maternum aqua ita possit, ut ad corpusculum infantis pertingat, uti viri docti posse fieri asserunt, debet baptizari sub conditione, sub qua iterum est baptizandus, si foras prodeat. Vid. Benedictum XIV. De Synod. lib. 7. cap. 5.

15. Inq. 5. An si quis in puteum infantem projiciat animo illum baptizandi simul, & suffocandi, maneat vere baptizatus? R. affirm. quia dantur omnia requisita ad verum Baptismum, dummodo materia, & forma simul coexistent, antequam infans moriatur. Secus esset, si infans e manibus illum habentis ex inopinato in puteum incideret, licet statim verba proferret: quia in tali casu non adest ablutio humana. Verum esto non subsit aliud medium baptizandi puerum, nisi in puteum projiciendo, minime licet id facere: neque secare matrem proxime

morituram, ut proli, in ejus alvo existenti, ministretur Baptismus; quia non sunt facienda mala, ut eventiant bona, ut recte docet D. Thom. ubi supra ad 3.

16. Inq. 6. An si quis, intendens baptizare infantem tribus abluionibus, aliquam ex oblivione omittat, maneat baptizatus. R. affirm. Si protulit formam habens intentionem, quam debet, faciendi quod facit Ecclesia: quia per quamlibet abluionem, supposita forma, perficitur Baptismus. Nisi minister haberet intentionem exclusivam, illum non perficiendi usque ad tertiam. Verum tunc peccaret graviter, apponendo talem exclusivam intentionem. Quarunt aliqui an infanti, proxime morituro, ministrari possit Baptismus, ex cujus ministratione timetur, quod celerius moriatur? Sed hic timor vanus est, nec propter illum differendus est Baptismus; tum quia potest ministrari modica aqua tepefacta, tum quia admissa, & non concessa dicta acceleratione, esset omnino per accidens. Qui, deficiente alio baptizandi modo, infantem submitteret aquæ, de tecto, vel alio loco cadenti, aut defluenti, & verba proferret, vere illum baptizaret: quia vere sic applicaret materiam, & formam.

PUNCTUM III.

De forma Baptismi.

17. Inq. 1. Quænam sit Baptismi forma? R. Quod in Ecclesia Latina est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Ly ego, & amen*, non sunt de essentia: neque juxta Soti, & aliorum sententiam ommissio eorum culpam venialem excedit, secluso contemptu. De particula *in* secus est dicendum; quia esto in probabiliori de essentia non sit, quia idem significatur, dicendo *nomine*, ac *in nomine*, peccaret graviter, illam omittens propter opinionem asserentem esse de essentia. Idem dicas de particula *&*, licet probabilis non sit de essentia. At si loco *in nomine* ponatur *in virtute*, probabilis variatur essentia. Et potiori ratione si dicatur *in nominibus Patris &c.* quia in hoc Sacramento debet explicari Trinitas personarum cum unitate essentia, quæ proprie exprimitur per *ly in nomine*.

mine. Quoniam quatuor saltem debent necessario exprimi in forma Baptismi: nempe actus baptizandi, persona baptizata, unitas Essentie Divinae, & Trinitas personarum. Persona baptizans, esto licite omitti non possit; quia tamen subintelligitur, valet Baptismus absque ejus expressione.

18. Inq. 2. An valeat Baptismus collatus in nomine Sanctissime Trinitatis? R. neg. quia debent exprimi tres Personae per consueta nomina *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Unde nec esset validus sub hac forma: *baptizo te in nomine primae, secundae, & tertiae Personae: nec in nomine Genitoris, & Geniti, & procedentis ab utroque:* neque in nomine *Jesu Christi;* quia esto non sit improbable aliquando Apostolos in nomine Christi baptizasse, id si verum est, fecere ex peculiari Dei dispensatione. Probabilius autem est nunquam sic Baptismus contulisse, sed sub forma ab ipso Domino praescripta. Ad illud autem *Act. 8.* quod Apostoli baptizabant in nomine Christi, dicitur significari, quod baptizabant in fide Christi; vel baptizabant in nomine Christi, hoc est Baptismo Christi, non Baptismo Joannis. Invalidus pariter est, si dicatur: *ego te baptizo cum Patre, cum Filio, cum Spiritu Sancto,* quia non exprimitur unitas essentiae.

19. Inq. 3. An qui baptizaret, dicens: *ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti,* validum conferret Baptismus? R. affirm. quia repetitio nominis non variat sensum formae. Sicut illum non mutaret, qui baptizaret sub hac forma: *ego te baptizo in nomine Dei Patris, Dei Filii, Dei Spiritus Sancti.* Neque qui diceret in nomine *Patris Omnipotentis, & Filii Unigeniti, & Spiritus Sancti Paracliti:* aut in nomine *Patris, & Jesu-Christi, & Spiritus Sancti.* Similiter verum Baptisma conficeret dicens: *ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beata Virgo te adjuvet;* quia B. Virgo non exprimitur, ut quid essentiale Baptismi, sed ut auxiliatrix baptizati: ideo in eodem sensu valeret Baptismus sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & B. Virginis;* volens Minister erga B. Virginem

ostendere suam esto imprudentem, devotionem. Qui vero, dicens in nomine *Patris, & Filii, & Spiritus,* omitteret *Sancti,* nihil efficeret, ut docet D. Thom. 3. p. q. 60. art. 8.

20. Inq. 4. An si Minister loco *ego* dicat *Nos baptizamus* validum sit Baptisma? R. juxta omnes valere quando baptizans est Papa, aut Episcopus. Sed esse validum etiam, quando baptizans est persona privata, tenendum est, quia etiam personae privatae solent loco *ego* dicere *Nos;* unde tantum adest variatio accidentalis. Quando plures baptizarent, non deberent dicere *Nos,* invalidumque esset Baptisma, si unus dependenter ab alio, & partialiter vellet baptizare. Validum vero, si quilibet per se absque dependentia ab alio baptizare intendit. Tunc autem, qui prius verba proferret, conficeret Sacramentum, qui vero deinceps illa pronunciaret, nihil aliud efficeret, nisi committere grave Sacrilegium. Si autem eodem momento omnes verba finiant, omnes, ut causae totales, in virtute principalis Baptismus perficiunt. Si quis diceret: *Ego Petrus, vel ego Sacerdos,* vel exprimendo nomen baptizati diceret: *Ego te Petrum, aut Paulum baptizo* validum conficit Baptismus, quia non adest variatio substantialis. Idem est si verbum activum mutetur in passivum, ut *baptizaris a me.*

21. Inq. 5. Sub qua forma conferatur Baptismus in Ecclesia Graeca? R. *Baptizetur, servus Christi talis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Vel *baptizatur loco baptizetur.* Sive enim dicatur uno, aut alio modo, omnes Catholici astruunt valorem baptismi, quia exprimuntur quatuor illa, quae diximus necessaria: nempe actus baptizandi, persona baptizata, unitas essentiae, & Trinitas personarum. Si vero inquiras, in quibus Sacramentis debeat necessario exprimi Trinitas personarum? R. quod in Baptismo, & Confirmatione: quia in Baptismo adducimur ad fidem, & in Confirmatione confirmamur in fide. Igitur quoties quatuor praefata exprimantur, suppositis ceteris requisitis, validus est Baptismus, quia adsunt omnia essentialia. Si his positus adsit variatio, erit accidentalis; & quidem si absque causa ponatur, semper illicita plus, aut minus juxta majorem, aut

aut minorem variationem.

22. Inq. 6. Quando iterandum sit Baptismus sub conditione? R. Solum est iterandum, quando adest grave dubium circa debitam applicationem materiae, formae, aut intentionis: tunc Baptismus est ministrandus sub conditione: *si non est baptizatus:* quia hoc Sacramentum est summae necessitatis. Igitur baptizati ab haereticis, si serio examinati, prudenter dubitetur de eorum materia, aut praecipue de forma debite applicata; iterum sub conditione baptizandi sunt. Caute vero est procedendum cum aliquibus, qui plus ex cupiditate extorquendi pecuniam, quam ex devotione suscipiendi Sacramentum, illud velle suscipere simulant. Pariter infantes sine schedula expositi; imo licet eam collo appensam habeant, si ignoratur auctor Schedulae, aut dubiae fidei reputatur, sub eadem conditione baptizari debent. Idem est de baptizatis ab obstetricibus, sagis, maleficis, vel ab illis, quae a Parocho examinatae, bene, & firmiter non respondent de applicatione materiae, & recta prolotione formae. Verum si constat obstetricem rite ministrasse Baptismus, minime est iterandum, etiam sub conditione. Unus testis oculatus probus, & timoratus sufficit ad fidem faciendam de Baptismo rite collato.

PUNCTUM IV.

De Ministro Baptismi.

23. Inq. 1. Quis sit Minister Baptismi? R. Dari Ministrum ex officio, Ministrum ex delegatione, & Ministrum ex necessitate. Minister ex officio, seu ordinarius est omnis Parochus in sua Paroquia; primo Episcopus; deinde ceteri Parochi respective. Quamvis enim omnis Sacerdos ex vi suae ordinationis baptizare solemniter valeat tanquam Minister ordinarius, dependet tamen in exercitio ab Episcopo, vel Parocho; ita ut peccaret graviter, si ipsis invitis baptizaret. Minister delegationis est, qui ex defectu Sacerdotis, vel ex consensu Parochi in casu necessitatis solemniter baptizare potest. Minister denique necessitatis pro Baptismo non solemniter est omnis viator, sive vir, sive femina, absque exclusione Judaei, aut Paga-

ni: nam qui vult omnes homines salvos fieri, nullum quantumvis improbum excludit a ministerio hujus Sacramenti in casu extreme necessitatis. Religiosus Sacerdos in casu necessitatis, aut de consensu, seu mandato Episcopi valet solemniter baptizare, & etiam de consensu Parochi, nisi propriis legibus prohibeatur.

24. Ut quilibet Sacerdos solemniter baptizet, sufficit consensus Parochi; ut autem Diaconus baptizet solemniter, requiritur Parochi consensus, & simul necessitas; puta si propter multitudinem baptizandorum, infirmitatem, censuram, aliudve impedimentum, nequeat Parochus per se, aut per alium Sacerdotem Baptismus conferre. Diaconus enim solum in defectu Sacerdotis est Minister Baptismi solemniter, non ex vi suae ordinationis, sicut Sacerdos: ideo nec in articulo mortis potest ille solemniter baptizare absque commissione. Extra mortis periculum nunquam est ministrandus domi Baptismus: exceptis filiis, seu nepotibus Regum, aut Principum. Extra idem periculum nunquam conferendus est absque solemnitate, & ritibus ab Ecclesia praescriptis. Nec Episcopus, nec Parochus valet extra suam jurisdictionem baptizare, nisi ex Pastoris proprio consensu, saltem rationabiliter praesumpto. Subdiaconus, & inferiores Clerici solum ex commissione Pontificis possunt ministrare Baptismus solemnem. Si autem isti, aut laici solemniter baptizent, validus est Baptismus, esto grave peccatum committant. Peccat etiam graviter quicumque, non Parochus, extra casum necessitatis baptizans.

25. Inq. 2. Quis ordo servandus sit inter Ministros Baptismi? R. servari debere ordinem sequentem. Prior omnibus est Episcopus, deinde Parochus, subinde Sacerdos, postea Diaconus, Subdiaconus, ceteri Clerici, denique laici, ita ut vir praefarerur foeminae; nisi ratione majoris peritiae ad baptizandum, seu causa honestatis, ac pudoris praeferrri oporteat etiam Sacerdoti, cui non deest assistere infanti, cum periculo ex alvo materno prodeunt. *Quapropter curare debet Parochus, ut fideles, praesertim obstetrices, relictum baptizandi ritum probe teneant, ac servent,* inquit Rituale Romanum. Imo ob pericula saepe contingantia tenentur obste-

obstretices sub gravi scire formam Baptismi, quam, ut melius pronuntient, satius est, quod in lingua vulgari sciant, & proferant.

26. Inq. 3. Quodnam peccatum sit ordinem præfatum invertere? R. Est grave peccatum præferri absque justa causa Diacono Clericum inferiorem, aut laicum; Diaconum Sacerdoti; Sacerdotem Parochio; quia fit gravis injuria invertendo ordinem hierarchiæ; naturali, divinoque jure præscriptum, quo Parochus debet præferri Sacerdoti, Sacerdos Diacono, Diaconus cæteris Clericis, & potiori ratione laicis omnibus. Similiter peccaret graviter infidelis, baptizans adstante fidei, aut excommunicatus in presentia non excommunicati. Inversio autem inter Clericos Diacono inferiores, aut inter istos, & laicos non reputatur gravis; esto semper debeat servari ordo hierarchicus, quo Sacramenti Minister aptior præferatur. Si non adessent, nisi Sacerdos excommunicatus, & obstetrix, hæc esset præferenda Sacerdoti, utpote a corpore Ecclesiæ segregato.

27. Parentes, urgente necessitate, proprios filios baptizare valent, nec amittunt jus petendi debitum. Verum illud amittunt, eos extra necessitatem baptizando. Laicus, solemniter baptizans in casu necessitatis, irregularitatem incurrit, non vero si privatim baptizet, etiam extra casum necessitatis. Sed de quibus illam incurrant ratione Baptismi indebite ministrati, fusior erit sermo in tractatu de irregularitate. Nullus valet seipsum baptizare; ideo nec Christus a seipso, sed a Joanne baptizare voluit, ut docet D. Thom. 3. p. q. 66. a. 5. ad 4.

28. Inq. 4. An si solum essent duo, quorum unus manibus, alter lingua caret, possent, uno aquam effundente, altero verba proferente, valide baptizare? R. neg. quia non posset verificari forma Baptismi, ut docet D. Thom. loco proxime laudato. Quoniam proferens verba debet applicare materiam, quod in casu accideat aequit. Esto enim unus solus possit in casu necessitatis valide, & licite plures simul baptizare, aspergendo omnes, & dicendo: ego vos baptizo; nullo tamen casu duo, vel plures possunt partialiter valide aliquem baptizare. Nihilominus, si

urgetur mortis periculum, deberent mustus, & truncus modo dicto baptismum conferre ob plam opinionem Cajetani, Paludani, & aliorum valorem hujusmodi Baptismi propugnantium. De unione aut simulate, quæ intercedere debet inter materiam, & formam, dictum est supra. Tract. præc. n. 22.

PUNCTUM V.

De Baptismi subjecto.

29. Inq. 1. Quis sit Baptismi subjectum? R. quod est omnis, & solus viator, nondum baptizatus, vir, aut femina, parvulus, vel adultus, qui abluï possit. Constat ex jussu Christi baptizandi omnes gentes. Cataphrigæ mortuos baptizabant: Cerinthiani, & etiam Marcionistæ vivos baptizabant pro mortuis, qui absque Baptismo decessere. Sed neque mortuos esse Baptismi capaces, neque vivorum Baptismum mortuis prodesse, omnes Catholici adstruunt.

30. Objic. Apostol. 1. ad Corint. 4. inquit: Alioquin quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Ut quid baptizantur pro illis? erg. baptizari possunt vivi pro mortuis, & istis prodesse vivorum Baptismus. R. Apost. probare carnis resurrectionem contra eam negantes in hunc modum: Si non est carnis resurrectio, ad quid est Baptismus pro mortuis; idest pro cito morituris? Ut quid baptizantur vivi pro corporibus morti obnoxii, si resurrectio non est? Alii alias promunt expositiones, & quibus evincitur nostra resolutio. Vid. D. Thom. in hunc. text. lect. 4.

31. Inq. 2. Quæ dispositio requiratur in subjecto Baptismi? R. quod in parvulis, & perpetuo amentibus nulla requiritur dispositio, quia ipsi sunt incapaces illius, & suppletur ab Ecclesia. In adultis ad validum requiritur intentio actualis, virtualis, vel saltem interpretativa recipiendi Baptismum. Ad licitum requiritur fides, & dolor supernaturalis de peccatis. Debet enim Adultus habere fidem Dei Autoris gratiæ, & remuneratoris gloriæ, Trinitatis, Incarnationis; & cæterorum, de quibus Catecumeni instruuntur juxta Ecclesiæ præscripta. Si urgeat mortis

periculi

periculum sufficit credere Deum remuneratorem, mysteriaque Trinitatis, & Incarnationis. Insuper debet poenitere juxta illud Act. 2. Penitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum. Triplex ergo requiritur dispositio, nempe, fides consensus, & attritio.

32. An autem requiratur etiam amor Dei initialis? P. Concina sic ait: Innumera sunt testimonia, quæ amoris Dei, saltem initialis, necessitatem evincunt. Qui non diligit manet in morte inquit Joann. 3. Sed revera textus non est ad rem. Primo, quia Joannes ibi non agit de dilectione Dei, sed proximi, ut eum legenti patebit. Secundo, quia loquitur de dilectione Dei habituali, non de actuali, de qua in præsentis est questio. Tertio, quia jubet dilectionem, non initialem, sed perfectam de qua hic non est sermo. Qui diligit amore solum initiali, adhuc manet in morte. Igitur ex unico textu pro innumeris adducto a Concina nihil probatur ad intentum. Melius respondet D. Thom. in 4. dist. 6. q. 1. a. 3. ad 5. Ad hoc ut homo se præparet ad gratiam in Baptismo percipiendam, præexigitur fides, sed non Caritas, quia sufficit attritio præcedens, & si non sit contritio. Erg. juxta Ang. D. sufficit fides, & attritio ad hoc, ut homo se præparet ad Baptismum. Habeat utique baptizandus amorem Dei initialem, imo, & perfectissimum, quo utinam omnes flagremus intra, & extra Sacramenta! sed aliud est præcepti, aliud consilii.

33. Inq. 3. An amentes, & furiosi baptizandi sint? R. sub distinctione. Si sint perpetuo amentes, idem de illis tenendum, ac de parvulis. Si aliquando usi sunt ratione; vel petierunt Baptismum, vel non? si primum, ministrari illis debet, esto in amentia actualiter contradicant. Si secundum, minime. Idem est de patientibus lucida intervalla. Semifatui qui de sua salute cogitare possunt, & intelligere virtutem Sacramenti, volentes, non inviti, baptizandi sunt. Si dubitetur an quis ante amentiam petierit Baptismum, ministrari ei debet; nisi certo constet in lethali amentia correptum fuisse, quia non debet ministrari certe indisposito: dormiens non est baptizandus, nisi periculum mortis imminet, quo in casu est baptizandus, si prius in eo voluntas Baptismi ap-

paruit. Vid. D. Thom. 3. p. q. 68. a. 12.

34. Inq. 4. An monstra sint baptizanda? R. Quod si constet esse hominem, seu humanum individuum, baptizari debet. Ita quod si solum unum caput habeat, esto cum quatuor pedibus, aut aliis membris duplicatis, unicus Baptismus ei est ministrandus. Si vero duplici capite, cæterisque membris duplicatis constet, baptizetur prius absolute in capite, quod principalis judicatur, deinde in altero sub conditione: si non est baptizatus, ego te baptizo. Nisi certo constet esse duo individua; quo in casu singula absolute debent baptizari. Satyri, concepti ex bruto, & muliere probabilis non sunt individua humana, & consequenter nec baptizandi. Si autem dubium occurrat consulatur Episcopus; si vero moram periculum mortis non permittat, ministretur Baptismus sub conditione: si ex capax. Potest enim dubitari, an non solum semen foemineum, sed etiam virile concurrerit ad monstrui formationem. Idem est de fetu, si nasci possit, de virile semine, & bestia. Sed in his casibus monstruosus Episcopus consulatur.

35. Inq. 5. An filii infidelium parentibus invititis licite baptizari possint? Dicimus licite, quia de valore nullus dubitat, nisi Durandus, singularis in sua dubitatione. R. quod de filiis hæreticorum non est dissidium, quia eorum genitores subjecti sunt Ecclesiæ. Cautè tamen in hoc est procedendum, si adsit periculum perversionis. Pariter certum est in extremo vitæ posse quemlibet infantem, etiam invititis parentibus infidelibus, baptizari; quia tunc iis non fit injuria, illorum salutè providetur, & non adest perversionis periculum. Idem est de filiis infidelium expositis, derelictis, & a cura parentum exemptis, quia nec tunc fit injuria Parentibus. Similiter est tenendum, quando Pater, aut Mater, aut etiam Avus consentit, Religionemque Catholicam amplectens, offert filium, aut nepotem ad Baptismum; prævalet enim consensus unius, etiam altero reluctante, quando cedit in favorem Religionis, & infantis utilitatem. Item si puer usu rationis certo gaudeat, & velit, potest licite baptizari, invititis Parentibus, secluso periculo perversionis. Idem est, de filiis mancipiorum, & Judæorum; pos-

sunt

sunt enim licite baptizari de consensu Parentum, aut veri Domini. Secus autem si dominium est mere politicum, quia servitus pure politica, & civilis non excludit dominium naturale, quod Parentes habent in filios, ut contra Scotistas asserunt Thomistæ cum suo Ang. D. 2. 2. q. 10. a. 12.

36. De Baptismo hebræorum tum infantium, tum adultorum, & de regulis servandis in quibusdam casibus ad hanc materiam spectantibus egregie disserit Benedictus XIV. in Epistola ad Archiepiscopum Tarsensem, Urbis Vicegerentem consignata die 28. Februarii ann. 1747.

PUNCTUM VI.

De Effectu Baptismi.

37. Inq. 1. Quinam sint effectus Baptismi? R. Tres inter alios sunt præcipui effectus Baptismi. Primus est infusio gratiæ regeneratiivæ, qua deletur peccatum originale, & quodcumque aliud, in subjecto repertum, remittendo illud, non solum quoad culpam, sed etiam quoad omnem poenam, apud Deum debitam, simulque aperiendo Cælum, quod clausum erat primo peccato. Remanet autem ad exercitium, seu agonem concupiscentiæ, vel fomes, quæ nec peccati rationem habet, neque nocere legitime certantibus potest. Remanet etiam poenalties mortis, famis, sitis, & aliæ plurimæ, quas Baptismus auferet justis in altera vita; non tamen in ista, tum ut humiliemur, & imitemur ipsum Christum caput nostrum, qui eas voluntarie pati voluit; tum ut sint nobis occasio merendi; tum ne homines præsentis vitæ potius commoda, quam futuræ gloriæ quaerentes, ad Baptismum veniant, ut ait D. Th. 3. p. q. 69. a. 3.

38. Secundus effectus est impressio characteris, quo oves Christi, & Ecclesiæ aggregati, ac subditi consignamur perpetuo, & indelebiter: qua ratione nequit iterari Baptismus; sicut enim semel tantum generamur, ita congruenter semel tantum regenerari valemus. Character reddit etiam baptizatum, habilem ad alia Sacramenta recipienda, atque ad opera Christianorum propria obeunda, & exercenda. Simul cum gratiâ, & caractere do-

nantur etiam baptizato virtutes infusæ, & Dona Spiritus Sancti, auxiliaque supernaturalia, quibus ditatur, & illuminatur ad novi status vitam perficiendam. Tertius effectus est cognatio spiritualis.

39. Inq. 2. Qui contrahant hanc spirituales cognationem? R. Quod baptizans, & Patrini contrahunt illam cum baptizato in prima specie: & iidem ipsi illam contrahunt cum Parentibus baptizati in secunda specie. Quando autem petitur dispensatio hujus cognationis, exprimi debet, an sit in prima, vel secunda specie. Quatuor vero requiruntur, ad hujusmodi cognationem contrahendam, vel ut quis sit valide Patrinus, 1. Quod sit rationis compos: alias nequit esse susceptor infantis formaliter, & cum intentione, & licet in jure nulla præfigatur ætas, decet tamen illum habere ætatem congruentem, ut possit subire munus Pedagogi, & Magistri respectu baptizati. 2. Quod sit baptizatus, quia sicut naturaliter, ita etiam spiritualiter, prius est, quod sit natus, quam cognatus. 3. Quod leveat infantem de Sacro Fonte, vel illum teneat, dum aspergitur, phisice cooperando in ipso actu baptizandi. 4. Denique, quod sit a parentibus, tutore, vel Parocho ad hoc munus designatus.

40. Inq. 3. An prædicta designatio sit necessaria ad contrahendam cognationem spirituales? R. Esse necessariam ad licitum, non tamen ad validum, nisi in casu, quo ultra designatos alii levant Creaturam de Sacro Fonte. Nam in hoc casu solum designati, non cæteri, illam contrahunt. Quando vero nullus est designatus, omnes exercentes munus Patrini, eam contrahunt, si simul illud exercent: si autem successive infantem tangant, solum unus, & una, qui primo tetigerunt, pro patrino, & matrino habendi sunt. Si autem plures duobus designentur a parentibus, & simul tangant infantem, omnes contrahere cognationem spirituales probabilis est, quia Concilium irritat cognationem, quando tangunt infantem, alii ultra designatos; non tamen dicit; ultra duos designatos: ergo omnes designati, simul infantem tangentes, eam contrahunt.

41. Inq. 4. Quod sit officium patrini? R. Est multiplex. Primo, baptizandum offerunt Ecclesiæ. Secundo, pro illo

pro-

promittunt. Tertio, ejus loco ad interrogata respondent, symbolum recitant, fidem profiterentur, & Satane abrenunciant. Quarto, sunt testes Baptismi, & in ejus dubio fidem faciunt. Quinto, debent curam habere instruendi baptizatum in doctrina Christiana, & morum honestate in defectu parentum, & magistrorum; ad hoc enim designantur patrini. Quoniam sicut natus indiget nutrice, ita spiritualiter renatus eget spirituali nutrice, & pedagogo, ut inquit D. Thom. q. 67. a. 7. Unde Parochus debet eos monere de hac obligatione; scribere eos in libro baptizatorum, & declarare eis cognationem spirituales, ex suo munere contractam. Verum in Baptismo privato non contrahitur hæc cognatio, quia officium patrini solum pro solemnibus Baptismo est ab Ecclesia institutum. Neque illam contrahit, qui tantum in ceremoniis solemnitate suscipit infantem, jam privatim baptizatum, ex variis declarat Sac. Cong. Conc. apud Ferraris.

42. Inq. 5. An quilibet possit esse patrinus? R. neg. Quia non baptizatus invalide hoc munus obiret. Ex baptizatis autem, valide, sed illicite, hæretici sunt patrini; quia male instructi in fide, ad eam docendam idonei non sunt. Ex alia ratione Monachi excluduntur ab hoc officio in Jure canonico, forte ob status decentiam, ob quam probabilis omnes Regulares nomine Monachorum comprehenduntur, saltem sine licentia suorum superiorum; qui solum ob justam causam, puta ob devotionem, & instantiam alicujus peculiaris benefactoris, seu personæ illustris eam prudenter concedere valent. Igitur ex baptizatis quilibet rationis compos potest esse patrinus valide. Ad licitum autem requiritur, quod sit catholicus, & etiam, dum commode possit, confirmatus, & bonis moribus instructus; pollens etiam ea ætate, qua valeat munus Magistri respectu baptizati subire. Jure communi illicitum non est, duos Conjuges simul esse patrinos; observentur vero ejusque Diocesis, seu Provinciæ statuta. Quando quis, ut alterius procurator, & ejus nomine agit munus patrini, non ipse, sed principalis est vere patrinus, contrahitque spirituales cognationem. Si quis putans, levare filium Petri, levaret filium Pauli, cum his,

Tom. II.

non cum aliis illam contrahit, quia filii Pauli, & non alterius est vere patrinus. Patrini debent esse vir, & femina, non duo viri, aut feminae, nec has debent parentes assignare, nec Parochus admittere.

PUNCTUM VII.

De peccatis commissis in receptione Baptismi.

43. Inq. 1. Quæ peccata adesse possint in receptione Baptismi? R. Posse reperiri peccata commissionis, & omissionis. Illa dantur, quando recipiens Baptismum, vult occidere, furari, aut aliud malum perpetrare: hæc vero, quando Baptismum recipiens, omittit culpabiliter aliquid requisitum ad rite illum suscipiendum, ut fidem, aut dolorem supernaturalem. Potest etiam dari ommissio inculpabilis doloris requisiti, ut si aliquis haberet dolorem naturalem, putans esse supernaturalem; & in his tribus casibus dicitur Baptismum recipi cum fictione; & esse Sacramentum validum, & informe. Nam recipitur Sacramentum, cum apponatur materia, forma, & intentio; verum propter fictionem non recipitur gratia, quæ est forma supernaturalis, esto recipiatur character, qui inseparabilis est a Baptismo valido.

44. Inq. 2. Quando Baptismus cum fictione susceptus causabit gratiam regenerativam? R. Quod illam causabit, quando tollitur fictio: hæc autem ut tollatur, si fuit inculpabilis, sufficit apponere illud, quod defecit. Ut si defecit dolor supernaturalis, hoc appositio, tollitur fictio, & Baptismus causat gratiam regenerativam. Si vero culpabilis fuit, solum tollitur per Sacramentum Penitentiae, cum attritione susceptum, vel per attritionem existimatam contritionem cum Sacramento vivorum; vel per actum caritatis, aut contritionis perfectæ. Ratio disparitatis utriusque casus stat in eo, quod in primo casu, suscipiens Baptismum, non committit sacrilegium, nec apponit peccatum, cujus remissio non pertineat ad Baptismum: unde sublato obice, Baptismus producit suum effectum. At in secundo casu in ipsa susceptione Baptismi committitur sacrilegium, quod non jam ad Baptismum, sed

D

ad

ad Pœnitentiam pertinet; ideoque tolli nequit, nisi per aliquod ex præfatis tribus modis.

45. Dices: ergo in dicto casu Sacramentum Pœnitentiæ, priusquam Baptismus, causat gratiam. Disting. consequ. prius in genere causæ materialis conc. consequ. prius in genere causæ efficientis, neg. consequ. In prædicto igitur casu Pœnitentia concurrat dispositivè, ut removens prohibens, ad hoc, ut Baptismus causet efficienter gratiam regenerativam, delens peccatum originale, & alia a subiecto commissa ante Baptismum, aut ante ins-

tans terminativum susceptionis illius. Apud Sacramenta causant eandem gratiam, quæ respective ad Baptismum dicitur, & est regenerativa, & respective ad Pœnitentiam remissiva. Ista remittit per se peccata, commissa post Baptismum, vel in ejus sacrilega receptione; Baptismus vero per se remittit peccata, ante ipsum perpetrata; unde semper verificatur Baptismum esse Sacramentum primæ tabulæ. Sacramenta, quæ imprimunt caracterem, producere gratiam, sublata fictione, diximus supra.

TRACTATUS VIGESIMUS QUARTUS

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

SECUNDUM novæ legis Sacramentum est Confirmatio, unde neglecta, non sine dolore, cæcitate voluntaria Lutheri, Calvini, eorumque sequacium, qui a via veritatis aberrantes, hoc, & alia Sacramenta spernunt, illius discussioni unicuique caput dicamus cum *Ang. Doctore* 3. p. q. 72.

CAPUT UNICUM.

De Confirmationis Sacramento.

PUNCTUM I.

De Natura, materia, & forma Confirmationis.

1. Inq. 1. Quid sit Confirmationis Sacramentum? R. Habet duplicem definitionem: Methaphysica est: *Sacramentum novæ legis, institutum a Christo Domino, causativum gratiæ corroborativæ.* Phisica est: *Signatio hominis baptizati, facta in fronte cum Chrismate ab Episcopo consecrato sub præscripta verborum forma.* Hæc secunda definitio optime explicat ea, quæ requiruntur ad valorem Sacramenti. Nam in primis requiritur signatio per modum Crucis, facta in fronte baptizati: deinde Chrisma debet esse consecratum ab Episcopo juxta probabiliorem, assertamque sententiam, etiam a Bene-

dicto XIV. in *Synod. Dioc. lib. 7. cap. 8. num. 2.*

2. Sacramentum hoc esse institutum a Christo Domino ex supradictis satis liquet; non tamen ita certo constat, quando illud instituerit. Probabilius est ejus materiam docuisse Apostolos in nocte Cœnæ; complete vero, & perfecte illud instituisse post Resurrectionem, quando eis dixit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Joann. 20.

3. Inq. 2. Quæ sit materia Confirmationis? R. Est duplex; nempe proxima, & remota. Remota est Chrisma, quod sic definitur: *Oleum olivarum, ab Episcopo consecratum, & balsamo mixtum.* Oleum, quod pingue est, gratiæ plenitudinem exprimit; balsamum vero, propter suam fragrantiam, virtutis odorem designat. Oleum debet esse olivarum de necessitate Sacramenti; & licet circa mixtionem balsami negent aliqui esse de essentia, verius alii affirmant, quia ritus utriusque Ecclesiæ miscendi balsamum oleo, a tempore Apostolorum observatus, idem adstruit, & confirmat. Chrisma debet esse eodem anno consecratum, veteri combusto, ex præcepto Ecclesiæ. Unde esto Confirmatio, adhibita cum Chrismate anni præcedentis, sit valida, graviter tamen illicita, nisi ex dispensatione Pontificis, quæ indulgeri solet pro Jerosolymis, & aliis remotis regionibus.

4. Materia proxima est unctio cum Chrismate in fronte baptizati, a Ministro facta in forma Crucis pollice manus dextere. In hac actione subintelligitur impositio manus Episcopi, quæ simul cum unctioe materiam proximam Confirmationis constituit. Unde nullum est Sacramentum, si unctio fiat medio penicillo, calamo, ut alio instrumento. Validum vero, esto graviter illicitum, si fieret non pollice dextera, sed alio digito, vel manu sinistra. Differt Chrisma ab oleo Cathecumenorum, & Infirmorum; primo, in balsami mixtione; secundo, in diversa consecratione; tertio, in diverso fine, ad quem ordinatur, & consecratur.

5. Inq. 3. Quanam sit forma Confirmationis? R. *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Omnia verba sunt de essentia, excepto *Amen.* Præter personam Confirmantem, & Confirmatam, & actum Confirmandi, tria potissimum exprimuntur in hac forma. *Primum*, Sancta Trinitas, quæ confert robur spirituale, & signatur, dicendo *in nomine Patris &c.* *Secundum*, ipsum robur spirituale, collatum per Sacramentum, & expressum per illa verba *Confirmo te &c.* *Tertium*, signum, quod pugnatori datur, dum dicitur: *Signo te signo Crucis.* Forma, qua utitur Ecclesia Græca est: *Signaculum donationis Spiritus Sancti.* Peccaret graviter Minister Latinus, utendo hac forma, sicut & Græcus e contra, quia recederet in re gravi a ritu propriæ Ecclesiæ; validum tamen efficeret Sacramentum; in valore enim utriusque formæ omnes consentiunt. Unde patet Christum reliquisse Ecclesiæ potestatem determinandi pro forma Confirmationis in specie illa verba, quæ illius expriment effectum. Dicere enim Christum instituisse hæc præcisse verba, & non alia pro forma hujus Sacramenti non probatur. Idemque est de forma Matrimonii, & aliorum.

PUNCTUM II.

De Ministro, subiecto, & effectu Confirmationis.

6. Inq. 1. Quis sit Minister Confirmationis? R. Ministrum ordinarium solum

esse Episcopum consecratum. Ita ut Episcopus nondum consecratus, esto electus, invalide confirmaret: Episcopus vero consecratus, licet non Confirmatus, valide potest Confirmare, quamvis graviter peccaret. Pariter grave peccatum committeret, si Confirmaret, etiam proprios subditos, in aliena Diocesi, sive alienas oves in propria, nisi ex consensu Diocesani, saltem rationabiliter præsumpto: quia nemo debet falcem mittere in alienam messem, invito Domino, Minister delegatus ex commissione solius Pontificis, adstante gravissima causa, potest esse simplex sacerdos, ut docet D. Thom. art. 11. ad 1., & Bened. XIV. ubi supra cap. 7.

7. Inq. 2. Quo tempore debeat Episcopus conferre Confirmationis Sacramentum? R. Ubi commode possit matutino tempore, quando tam Confirmans, quam Confirmatus sunt jejunii, ministrari debet. Hoc in Gallia, & Italia, ubi Episcopatus exigui sunt, frequentius exequi valet, ac debet. At in aliis ditionibus, ubi pauci reperiantur Episcopi, Episcopatusque sunt valde extensi, numerosos populos comprehendentes, ut in Hispania, sive matutino, vespertinoque tempore, etiam post prandium, ministrari potest. Locus, in quo ministranda est Confirmatio, debet esse Ecclesia, vel si ad illam accedere nequeat Episcopus, sacellus Episcopalis. Valde periculosum est Confirmationis administrationem longo tempore differre; privantur namque fideles plenitudine gratiæ, qua ditantur in Confirmatione. Tenetur igitur Episcopus per se loca, saltem præcipua, suæ Diocesis adire, ad hoc Sacramentum conferendum, vel per alium Episcopum supplere defectum. De intentione, requisita ad validum, & de statu gratiæ ad licitum jam ex supradictis satis liquet.

8. Inq. 3. Quis sit subiectum Confirmationis? R. Omnis homo viator est subiectum capax hujus Sacramenti: & licet infantibus, uti olim fiebat, ministrari possit, expedit tamen, ut pollentes usu rationis, illud suscipiant ob reverentiam Sacramenti, devote ad illud accedant, & recedantur se illud suscepisse. Ad hoc enim Confirmatus cæditur leviter ab Episcopo in maxilla; esto etiam fiat ad

innuendum se, uti fortem athletam, paratum debere esse ad omnia adversa pro fide perferenda. Perpetuo amantes Confirmandi sunt juxta pruden arbitrium Episcopi, nisi gravi culpa inquinati in amentiam inciderint. Infirmi Confirmari debent, tum ad majus robur pro ultima lucta, tum ut in resurrectione perfecti appareant. Patientes lucida intervalla debent suscipere hoc Sacramentum.

9. Inq. 4. An obligatio suscipiendi Confirmationem sit gravis? R. Plures contendunt esse gravem, sed D. Thom. aperte docet oppositum. Explicans enim quedam verba Hugonis Victorini, exprimentia periculosam esse ejus omissionem, addit *art. 8. ad 4. Non quia damnaretur, nisi forte propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur.* Si autem obligatio, illam recipiendi, esset gravis, damnaretur utique propter omissionem ipsam, secluso contemptu: ergo si non ex ejus omissione, sed ex contemptu damnaretur, illam omitens, omissio ejus non est gravis juxta D. Thom. Velle autem aliter interpretari Sanctum D. est velle tergiversari, & contorquere ejus doctrinam. Igitur Episcopi, Parochi, & Parentes curent solliciti, ut eorum subditi,

& filii confirmentur congruo tempore; hoc enim illis incumbit ex officio. Verum si quis fragilis ex mera desidia, non ex contemptu omittat suscipere Confirmationem, non damnaretur juxta D. Thom. Idem tenet V. Palafox in explicatione hujus Sacramenti.

10. Inq. 5. Quinam sint effectus Confirmationis? R. Esse tres. *Primus* est gratia sanctificans; sive ejus augmentum corroborativum ad confitendam, & defendendam fidem, etiam coram tyrannis. Est enim hoc Sacramentum per se primo institutum ad causandam secundam gratiam corroborativam. *Secundus* est character, quo Confirmatus insignitur, tanquam miles, & athleta Christi. *Tertius* est cognatio spiritualis, quam contrahunt confirmans, & patrinus cum Confirmato in *prima specie*; ac iidem ipsi cum Patribus Confirmati in *secunda specie*. In Confirmatione solum debet adesse unus Patrinus, sive una tantum Matrini, potest namque exercere munus Patris sive vir, sive foemina. Non Confirmatus illicite subiret munus Patris. Cetera, que in presentia disceptari possent, satis constant ex dictis duplici tractatu anteriori.

TRACTATUS VIGESIMUS QUINTUS

DE AUGUSTISSIMO EUCHARISTIE SACRAMENTO.

CAPUT I.

De nomine, natura, materia, & forma Eucharistiae.

PUNCTUM I.

De Eucharistiae nomine, & definitione.

Venerandum, colendum, summisque laudibus celebrandum est Sacramentum, quod aggredimur explanandum: licet enim reverenti silentio, potiusquam voce, aut calamo illius excellentia, sublimitas, & magnitudo venerari deceat; debemus tamen pro viribus ejus mirabilem naturam, caeteraque que nobis tantopere conveniunt, investigare. Quod praestare curabimus in hoc tract. duce D. Th. qui praecipue de eo *bene scripsit 3. p. a. q. 73. usque ad 83.*

1. Inq. 1. Quid significet Eucharistia? R. Esse nomen graecum, quod latine idem est, ac *bona gratia*, seu *gratiarum actio*: tum quia in ejus institutione Christus gratias egit: tum quia omnium est fons copiosus gratiarum: nec aliter melius, quam devote illam suscipiendo, pro ipsa & aliis beneficiis Deo gratias agere valeamus. *Synaxis* etiam vocatur, id est collectio,

con-

congregatio, adunatio, quia olim, sicut & nunc, congregabantur in Ecclesia fideles ad coelestem panem manducandum. Item appellatur *Communio*, idest Communis unio, quia, medio hoc divino pane, unimur cum Deo, & internosmetipos. *Viaticum* dicitur, quia reficit vires, ad transeundam peregrinationis viam, & perveniendum ad aeternae vitae tranquillum portum. *Cena* quoque nuncupatur, quia discessuris ex hac vita, velut ultimum pabulum ministratur. Etiam vocatur *Cena Domini*, quia Dominus, perfecta coena legali, hoc Sacramentum instituit, & cum Discipulis suis ipse etiam suscepit juxta D. Thom. *q. 81. a. 1.*

2. Praeterea *Agapa*, idest convivium, appellatur, & tandem *panis Angelorum* merito conclamatur, vel quia illum sumentes, debent in puritate Angelos emulari, vel quia de caelo descendit pretiosior, quam Manna datum Patribus in Deserto. Unde cum hoc Sacramentum sit adeo excelsum, ac magnificentum, variis nominibus insignitur, quia adhuc pluribus significationibus ejus miranda dignitas non bene explicatur.

3. Inq. 2. Quid sit Eucharistia? R. Quod potest considerari, vel tanquam Sacramentum, vel tanquam Sacrificium: tanquam Sacrificium postea. Tanquam Sacramentum, duas habet definitiones. Metaphysica est: *Sacramentum novae legis, institutum a Christo Domino, causativum gratiae cibativae.* Per ultimam particulam *cibativae* differt a reliquis Sacramentis novae legis, cum quibus in caeteris convenit. Differt etiam in eo, quod reliqua Sacramenta causant gratiam; hoc vero Sacramentum gratiam causat, & continet Auctorem gratiae. Physica est: *Species panis, & vini consecratae, sub praescripta verborum forma, a Sacerdote prolata.* Hac definitione satis innuitur, quod hoc Sacramentum constituitur in *recto* per species panis, & vini, connotando tamen Corpus, & Sanguinem Christi: Sacramentum enim est, quid sensibile, quod in *recto* solum convenit speciebus, caeteris autem *de connotato*, in quantum per species significantur.

4. Inq. 3. An hoc Sacramentum sit unum in specie atoma? R. Affirm. Nam licet physice sit plura, quia tamen est con-

vivium, quod constat ex cibo, & potu, ideo est unum Sacramentum in specie atoma. In eodem sensu est panem numerice, quoties sit unum convivium moraliter. Unde ejus unitas numerica non sumitur a speciebus physice sumptis, sed ab earum sumptione considerata moraliter per modum convivii. Igitur quoties adsunt plures species omnino separatae, ac discontinuae, adsunt plura Sacramenta Eucharistiae; tam physice, quam moraliter. Ubi vero unum integrum convivium complet, erunt quidem plura Sacramenta physice, sed unum moraliter; sicuti in uno convivio, esto apponantur plures physice cibi, potus, ac ferula; omnia tamen unum numero convivium moraliter integrant. Ita D. Thom. *3. p. q. 73. a. 2.*

PUNCTUM II.

De Materia Eucharistiae.

5. Inq. 1. Quenam sit materia Eucharistiae? R. Esse duplicem: nempe *quam*, & *ex qua*. *Materia quam* sunt species panis, & vini consecratae; & dicitur *quam*, quia permanenter continent Corpus, & Sanguinem Christi. Et sic intrinsece constituit Sacramentum, quod non convenit pani, & vino, nisi per modum termini *a quo*; aut *ex quo*. *Materia ex qua* etiam ex duplex: nimirum *proxima*, & *remota*. *Materia proxima* est panis triticeus usualis, & vinum de vite etiam usuale, praesicive a praesentia physica, aut morali. Unde panis confectus ex hordeo, avena, oriza, maizio, cicere, fabis, pisis, ami gidalis, castaneis, aut aliis leguminibus, vel seminibus arborum, ineptus est ad validam consecrationem. Granum de quo dubitatur, an sit triticum, ut *siligo*, hispanice *centeno*, est materia dubia. Licet panis aliis forte granis diversae speciei preparatur permixtus, si vere panis triticeus adhuc remanet, materia valida est. Imo esto Sacerdos curare debeat, quod hostia consecranda sit munda; tamen non seprodat nimium in ea abstergenda, & munda cum aliorum fastidio.

6. Praeterea panis ad validam consecrationem debet esse usualis, ex aqua naturali confectus, & igne coctus. Unde hostia,